



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari provenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

XII. An in Prælatibus regularibus sit potestas dispensandi, & ad quam
materiam extendatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

*Appellatio
quando per
noliter ad
superiorem
cum licen
tia, licet est*

duplex modus appellationis, quod notat Nauarr. confil. 5. de appellat. num. 7. factio scilicet, & verbo. Factio dicitur fieri, quando arripitur iter ad superiorem Prælatum, iuxta cap. dilecti. 2. de Appellat. Quod quidem, si fiat cum licentia proximi Prælati, licitum est, ut per se constat, & per argumentum à contrario sumitur ex Concilio Tridentino statim citando: tunc autem illa non est propria, & rigorosa appellatio, sed ille alius simplex recursus ad Superiorem. Si autem fiat inuito, aut incilio Superiore, videtur talis appellatio prohibita à Concilio Trident. sess. 25. cap. 4. de Regularib. ibi. *Nec licet regularibus à suis conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui vero sine prædicto mandato in scriptis obtemo reperi fuerit, ab Ordinariis locorum tanquam desertor sui instituti puniatur.* Nauarrus autem Comment. 2. de Regularib. num. 61. hanc prohibitionem interpretatur, ut non procedat in adeunte Superiorem ex graui causa; qualis est iniustum, & notabile grauamen, à quo non potest subditus aliter liberari: *Quia non est (inquit) credendum tantum Concilio voluisse derogare iniuste appellationi tam graui rationi nitenti, scilicet, quia illud posset repugnare iuri naturali, quo malitijs hominum obuiandum est. Præsertim (ait) quod non est petendus consensus ab eo, ad cuius grauamen tollendum, vel delictum castigandum, est agendum: xia gl. 1. in cap. cum pastoribus 2. quaest. 7. & argumento c. ex parte de accusationibus.*

XV.

Veruntamen expositio hæc difficilis creditur est, quia, iuxta illam, prohibito Concilij sine fructu fuisset, quia semper fuit in Ecclesia prohibitum religiosis arripere iter suo arbitrio, & sine urgente causa sub titulo eundi ad superiorem Prælatum: Concilium autem nouum aliquid prohibere voluit, ut indicant illa verba, *et licet regularibus mens ergo Concilij fuit, ut nullo prætextu hoc faciant: minus enim incommodum existimat, ut religiosus interdum patiatur aliquod grauamen iniustum, quam ut totum corpus religionis illo prætextu magnum dispendium patiatur.* Existimo ergo hanc fuisse mentem Concilij, alias nullum fere remedium prioribus malis adhibuisset. Vnde in foro exteriori non excusabitur, ut opinor, huiusmodi religiosus hoc prætextu quo minus ab ordinario loci detineri possit, & puniri, licet nec excommunicatus sit, nec excommunicandus, ut Congregatio Cardinalium in quadam Declaratione aduertit. In foro autem conscientie tunc solum posset admitti hæc excusatio, quando vel magnum commune bonum euidenter periclitaretur, vel extrema necessitas immineret alicuius grauissimi, & irreparabilis nocimenti, quod non proprio, sed prudentum arbitrio iudicandū esset. Quapropter solo titulo appellationis à grauamine iniustæ sententie, moraliter loquendo, nunquam existimo hoc licere, quia raro esse potest grauamen tam notabile, tamque irreparabile, ut propter solam dilationem accedendi ad Superiorem ordinato modo tam graue debeat existimari, præsertim, quia maior infamia, maiusque nocimentum, etiam spirituale, sequi solet ex huiusmodi perturbato discessu.

XVI.

*An ille cui
sit in actum
ad Sedem
Apostolicam
sine licentia*

Dubitari vero posset circa dictum decretum Concilij Tridentini, an sub illo verbo, *ad Superiores suos accedendi*, comprehendi etiam debeat Romana Sedes: videtur enim in rigore non comprehendi, quia sub generali verbo non comprehenditur tam specialis autoritas, & quia nomine Superiorum, iuxta communem usum solum significatur proprii Prælati religionis. Item, quia ius Pontificium non solet derogare, nisi expressa, & specifica mentio illius fiat. In contrarium autem est, quia ad intentionem Concilij multo magis necessarium erat hoc osium claudere discoloris religiosis, quam cetera. I-

tem, quia nomen Superioris generalissimum est, & in rigore plus videtur comprehendere, quam si nomen Prælati positum fuisset. Item, quia alias nec legatus Pontificis sub eo decreto comprehenderetur, & ita licitum esset, inconsulto proprio Superiore, ad illum accedere, quod valde absurdum est. Et ideo existimo hanc posteriorem partem veriorum, & vsu receptam. Quæ non repugnat supremæ auctoritati Pontificis, quia ab ipsomet hæc prohibitio nascitur, nam, licet sit supremus pastor, vult, ut in accessu ad ipsum debitus ordo seruetur, & communi bono religionis propicietur. Tenebitur autem Prælati religionis concedere subdito petenti hanc facultatem quando rationabilis causa subest: quod si eam tunc neget, poterit subditus per aliam viam conueniri apud Summum Pontificem, ut seipsum defendat, vel alicui malo graui succurrat: si tamen nullum aliud remedium ei superest, tunc iuxta grauitatem causæ per modum epicheiræ iudicium ferri poterit.

De appellatione autem propria, & verbali intelliguntur specialia priuilegia, in quibus Sedes Apostolica concedit, ut etiam ad seipsam huiusmodi appellatio non fiat: nam verba simpliciter prolata, in proprietate sumenda sunt, & vox appellationis non aliud proprie significat. Ratione autem horum priuilegiorum, & sanctæ obseruantie optime, & religiose attigit Soto, quia commune bonum religionis priuato preferendum est, & vnumquodque membrum pro bono totius postponere debet suum peculiare incommodum: plurimum autem interest religioni, ut causæ eius, & si qui sunt defectus, inter ipsos religiosos tanquam inter patres, & fratres componantur, & altissimo silentio recludantur: nam, si extra prodiant, decor etiam, & honor religionis minuetur, & paulatim peribit, præter alia incommoda, quæ ex libertate appellandi extra religionem in discoloris, & inquietis hominibus sequerentur. Est etiam optima moralis ratio, quia sufficienter prouisum est religionis per plures Superiores à Conuentuali, vsque ad Generalem, qui & facilius, & melius poterunt veritatem causæ cognoscere intra propriam religionem, quam externi iudices, etiam si Pontificij sint. Merito ergo alia appellatio denegatur. Per hoc autem non prohibetur alia via legitima ad Summum Pontificem, dummodo proprii Prælati obedientia seruetur, donec Summus Pontifex aliud statuat: imo hoc est, quod præcipue dicta priuilegia concedunt.

CAPVT XII.

Virum in Prælati regularibus sit potestas dispensandi cum subditis; & ad quam materiam ex eandem.

Post explicatam potestatem directiuam, & coactiuam, dicendum sequitur de potestate dispensatiua: nam hæc etiam in perfecto Prælato necessaria est, quia sine illa non potest humanum regimen moraliter subistere. Sit ergo hæc prima & generalis assertio, habere scilicet Prælatum regularem potestatem dispensandi cum suis subditis (nam de extraneis nunc non agimus). Hoc satis constat ex superioribus in cap. 5. ubi ostensum est eos habere iurisdictionem Episcopalem, ad quam pertinet hæc potestas dispensandi. Vnde etiam constat, hanc assertionem proprie habere locum in religionibus exemptis: nam quæ exempta sunt, sicut Episcopo subiacent in his, quæ sunt iurisdictionis non voluntariæ, ita etiam in his, quæ sunt voluntariæ iurisdictionis, ex quibus est dispensa-

penfatio: & ideo non est tam necessaria potestas dispensandi in perfectis, vel superioribus talium religionum, neque ordinario iure illam habent, sed quantum vel Episcopus de illa commiserit, vel per specialia privilegia eis sic à Pontificibus communicata; vel si quid habent ex legitima consuetudine præscriptum. At verò prælati exemptarum religionum iure ordinario, & ex vi exemptionis habent hanc potestatem dispensandi, sicut habent iurisdictionem Episcopalem, quia sub Pontifice Summo non habent alium proprium Episcopum extra suos prælatos; & ideo ad eorum munus, prout de facto in Ecclesia institutum est, pertinet hæc potestas; est ergo in illis ex ordinario iure, & consequenter dicenda est potestas ordinaria, & non tantum delegata, sicut supra de eorum iurisdictione diximus. & hæc de 1. parte tituli.

II. Hæc igitur potestate supposita, tria principalia dubia circa illam occurrunt explicanda. Primum, quantum se extendat, & consequenter circa quam materiam versetur. Secundum, in quibus prælati religionum sit hæc potestas, id est, an solum in Generalibus, vel Provincialibus, vel etiam in conventualibus, seu particularibus. Tertium, ad quas personas se extendat hæc potestas, id est, an ad solos profectos, vel etiam ad novitios, aut extendatur ulterius ad familiares, benefactores, vel alios similes. Primum autem dubium tractari potest in primis in generali per comparationem ad Episcopos. In qua coparatione prima difficultas est, an prælati regulares possint dispensare cum suis religionis in omnibus casibus, in quibus possunt Episcopi dispensare cum suis subditis. Et ratio dubitandi esse potest, quia Episcopus dispensare potest in omnibus, quæ sibi non sunt iure, aut consuetudine prohibita, seu specialiter Papæ reservata; ut est vulgatum apud plures Canonistas, & Summis; at prælati religionum non habent tãtam potestatem, sed ad summum possunt quod eis iure aliquo concessum est, ut docuit Innocent. in cap. 2. de eo, qui furt. ord. suscepit. ergo. Confirmatur, quia in multis casibus possunt dispensare Episcopi, in quibus non possunt dispensare prælati regulares: ut v. g. in occultis suspensionibus, vel irregularitatibus potest Episcopus dispensare iuxta decretum Concilij Tridentini sess. 24. c. 4. de Reformat. in quibus tamen non possunt prælati regulares dispensare, & similia: ergo. In contrarium autem est, quia hi prælati, supposita exemptione suarum religionum, iure ordinario habent hanc potestatem: ergo, si non limitetur, est æqualis quoad extensionem iurisdictioni Episcopali. Patet consequentia, tum quia illius loco succedit, seu subrogatur: tum etiam, quia non est maior ratio limitandi illam in vno actu, vel materia, quàm in aliis, nisi vbi aliquo expresso iure facta fuerit limitatio. Atque hanc partem sequuntur Glossa, & Doctores communiter in Clement. 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis, verb. *Proprij.* & in capite *Abbas.* de privileg. in 6. verb. *Quasi Episcopalem.* & sumitur ex Nauarro in Summ. c. 12. num. 75. versic. *Tertio.* & consil. 5. de sponsalibus, iuxta impressionem Romanam anni 1520.

III. Pro resolutione distinguere oportet, quædam esse, quæ conveniunt Episcopis iure ordinario quatenus Episcopi sunt, ut dispensatio vororum, quæ Episcopalia dicuntur, & in aliis casibus, qui etiam hac ratione Episcopales dicuntur: alia vero esse, quæ specialiter iure conceduntur Episcopis, ut legatis Summi Pontifici, & sunt multi casus, vel potestates eis concessæ in Concilio Tridentino sess. 24. & 25. & aliis decretis de Reformat. quamvis vbiunque expressè additur illa particula, non de potestate dispensandi, sed de aliis actibus iurisdictionis, vel administrationis Ecclesiasticæ sermo est. Tertiò ta-

men sine additione illius particulæ, ut *Sedis Apostolicæ delegati*, quædam circa dispensationes specialiter conceduntur Episcopis, quæ antea non concedebantur, ut in dict. cap. 6. sess. 24. Concilij Tridentini. Quod ergo spectat ad primum ordinem actuum, seu facultatum, verum est in regularibus prælati esse omnem potestatem dispensandi cum subditis, quæ est in Episcopis, servata proportionem: & hoc probat ratio superius facta. Addidi autem, *servata proportione*, quia ratione subiectorum, seu materiæ multa cadunt sub potestatem, quam Episcopi habent ad dispensandum, quæ non possunt à prælati religionum exerceri, quia non possunt esse actus suis subditis convenientes: ut sunt, v. g. dispensatio in impedimentis matrimonij non irritantibus, vel quid simile. Sicut etiam è converso aliqua dispensatio potest esse accommodata statui religioso, quæ non potest habere locum in laico: ut, v. g. dispensatio in regula, & similes; hæc autem diversitas materialis est. Formalis autem ratio utriusque potestatis est dispensare cum subdito in his, quæ ordinariè possunt esse necessaria, & accommodata statui eius: & in hoc est æqualitas superius dicta.

Quod verò attinet ad secundum ordinem, certum est ea, quæ illo modo conceduntur Episcopis, non extendi ad Prælatos religionum, quia iurisdictione, quæ illo titulo communicatur, non est Episcopalis, sed Apostolica, & ideo ex vi muneris non participatur ab his, qui iurisdictionem Episcopalem participant: neque etiam potest ad illos extendi concessio quæ fit Episcopis propter convenientiam, quam in modo iurisdictionis cum illis habent: tum quia verba privilegij seu delegationis in sua proprietate accipienda sunt: ergo delegatio, quæ fit specialiter Episcopo, non potest ad prælatum regularem extendi, qui verò Episcopus non est: tum etiam, quia in huiusmodi delegationibus maxime haberi solet ratio dignitatis Episcopalis, quam non habent regulares prælati, neque etiam absolute, & simpliciter habent iurisdictionem Episcopalem, sed quasi Episcopalem, ut in superioribus declaravimus. Denique non solum regulares prælati, sed etiam seculares inferiores Episcopis non comprehenduntur sub huiusmodi facultatibus, quia reuera non sunt Episcopi: & hoc ad minimum sentis Innocentius supra. Neque in hac parte existimo esse controverfiam inter auctores.

In tertio ordine potest esse nonnulla maior difficultas, an religiosi prælati participant illam etiam potestatem dispensandi, quæ speciali iure conceditur Episcopis: nam ratio proximè facta videtur negativam partem suadere, quia licet hæc facultates videantur gratiæ, & ex eo capite ampliandæ, tamen quatenus exorbitant à iure communi, videntur potius restringendæ saltem ad verborum proprietatem, quæ non potest dici restrictio, sed potius ad æquata privilegij interpretatio. Et hanc partem confirmat etiam auctoritas Innocentij, & textus, quem allegat, in c. *ad huc.* de offic. ordinarij, vbi dicitur, ardua negotia ad Episcopum esse deferenda: satis autem ardua sunt illa, quæ cum prius, etiam ipsi Episcopis denegarentur, postea speciali iure eis conceduntur: ergo non sunt ad alios extendenda. Nihilominus aliqui censent, huiusmodi concessiones tam quoad dispensandum, quàm quoad absoluendum, eo ipso quod conceduntur Episcopis, intelligi concessa prælati religionum, quatenus iurisdictionem Episcopalem ad hos actus absoluendi, & dispensandi absolute, & simpliciter participant. Fundamentum est, quia huiusmodi concessiones non exorbitant à iure communi, sed potius per eas fit reductio ad commune ius; & ideo extenduntur ad omnes, qui participant iurisdictionem Episcopalem. Antecedens declaratur,

ratur; primum ex illo principio, quod ex vi sui muneris possunt Episcopi circa suos subditos quicquid potest Papa in universa Ecclesia, nisi eis sit specialiter prohibitum. Nam ex hoc principio sequitur, omnes reservationes, vel prohibitiones, quæ sunt Episcopis in huiusmodi materia dispensationum, esse exceptiones quasdam à iure communi, nam per eas admittitur Episcopis id quod aliàs ex vi sui muneris competeret, si non prohiberetur; sed id, quod convenit ratione muneris, convenit ex vi iuris communis, vel diuini, vel saltè Ecclesiastici universalis, ergo tales prohibitiones, vel reservationes continent exceptionem à iure communi. Consequentia autem probatur, primò quia eo ipso quod ablata est exceptio per concessionem factam Episcopis, redimus ad antiquum ius; sed ex vi iuris communis sibi relicti illæ facultates conveniunt omnibus habentibus iurisdictionem Episcopalem: ergo secundo, ablata prohibitionem, Episcopus potest ex vi sui muneris, & non ex speciali delegatione Papæ; sed quicquid potest Episcopus hoc modo, possunt etiam hi praelati habentes iurisdictionem Episcopalem, iuxta doctrinam Panormitani, in cap. *et si clerici*, §. *de adulteriis*, n. 13. de iudiciis, supra à nobis probatum: ergo, tertio quia illud principium, quod Episcopi in his possunt quicquid sibi non prohibetur, immediate applicari potest praelatis etiam regularibus exemptis: quia, ut dixi, habent commissam iurisdictionem Episcopalem in suos subditos, quæ ad omnia illa extenditur, quæ non excipiuntur: ergo sicut in Episcopo extenditur ad omnia non prohibita, ita & in his praelatis. Eo autem ipso quod similis concessio facta est Episcopis, aucterur prohibitio: ergo.

VI.

Fundamentum autem huius opinionis valde incertum mihi est, præsertim in materia dispensationum (nam de absoluteione fortasse alia est ratio statim notanda) nullo enim iure satis probatur, Episcopum posse dispensare in omnibus, quæ ipsi non prohibentur: nam cap. *super*, de sent. excomm. quod ad hoc afferitur, non loquitur de dispensatione, sed de absoluteione ab excommunicatione, de qua fortasse est specialis ratio propter periculum animarum, quod regulariter in dispensationibus esse non solet; præter illud autem ius, nullum aliud afferri potest: imò sunt multa, quæ oppositum significant, ut disp. 7. de censur. sect. 4. à numer. 2. & lib. 6. de legib. cap. 14. à numer. 4. latius dixi: Neque etiam ex sola ratione naturali potest illud principium colligi: nam licet ex natura rei unusquisque dispensare possit in lege à se posita, non tamen in lege posita à Superiore. Quin potius lex Superioris ex natura sua est reservata, ne inferior possit in illa dispensare, nisi ab ipso Superiore, vel ab altiori talis potestas positivè concedatur. Dicunt fortasse ita esse in præfenti: nam hæc potestas generaliter data est Episcopis à Christo Dom. quoad omnia, nisi per Pontificem limitentur. Sed hæc sententia quoad hanc partem de immediata emanatione iurisdictionis Episcoporum, generaliter falsa nobis semper visa est, ut tomo 4. & 5. 3. partis diximus, & lib. etiam 4. delegib. cap. 3. & Deo dante, in 6. etiam dicemus tractando de Ordine Hierarchico Ecclesiæ. Specialiter verò videtur nunc improbabilis quoad potestatem dispensandi in legibus Papæ: nam, cum hic sit ex se ordo præposterus, quod inferior mutet legem Superioris, neque expediat nisi in certis casibus, vel materiis, incredibile est, illam fuisse quasi generalem regulam à Christo positam, & alium ordinem esse quasi exceptionem à regula. Magisque improbabile est, concessionem factam praelatis religionum ex vi diuini iuris iurisdictionem hanc non esse in praelatis regularibus de iure diuino, sed immediate à Papa, à quo ex vi iuris communis non am-

plius concessum illis est, quàm de facto habent Episcopi.

Vnde intelligitur (quod valde notandum est) quod licet daremus respectu Episcoporum, denegationem alicuius potestatis se habere per modum privationis, & limitationis iuris diuini nihilominus respectu praelatorum inferiorum, etiam regularium solum comparari per modum simplicis negationis, seu non concessionis, quia illi nihil unquam habuerunt de iure diuino: de iure autem humano ex vi iuris communis solum receperunt ea, quæ Episcopis eodem iure communi non sunt prohibita: ergo respectu aliorum, quæ specialiter Episcopis prohibentur, non se habent ut privati, sed ut non recipientes talem iurisdictionem, vel, ut alias dici solet, non se habent ut nudati, sed ut nudi. Quamvis ergo postea fiat specialis concessio Episcopis, & respectu illorum dicatur illa ablatio prohibitionis, respectu inferiorum non potest talis existimari, quia illi nunquam fuerunt prohibiti, & positiva concessio illis non fit. Et potest hoc confirmari, quia sub generali concessione non veniunt specialia, quæ alioqui solent esse Superiori reservata, ut est axioma iuris: ergo quamvis dispensatio aliqua, quæ secundum antiquum commune ius erat reservata Pontifici, nunc speciali iure Episcopis concedatur, non est hæc specialis concessio extendenda ad inferiores praelatos, quibus tantum veluti per generalem concessionem communicatur Episcopalis iurisdictione.

Propter hæc mihi maximè placet doctrina Innocentij in num. 5. quoad hanc partem, scilicet, ut non facile extendamus ad inferiores praelatos speciales concessionis factas Episcopis, præsertim quando illæ sunt ad casus extraordinarios, & non ad ordinarium regimen animarum. Nec Panormitanus, aut alij antiqui auctores in hoc contradicunt, sed loquuntur tantum de generali iurisdictione Episcoporum quoad res ordinarias, & non ad ordinarium regimen animarum. Concilij Tridentini sess. 24. inuenio à congregatione Cardinalium declarationem factam his verbis, *In hoc decreto non comprehenduntur inferiores habentes iurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem, sed tantum Episcopi priusquam quoad omnes alios. Quæ declaratio non potuit fundari in aliqua speciali ratione, aut locutione illius textus, sed in generali doctrina; & ideo ad omnes similes casus extenditur. Ad fundamentum autem contrariæ sententiæ positum numero 5. satis responsum est: quia neque in ipsis Episcopis admittimus illud principium ita generatim sumptum, ut possint quicquid non prohibetur: nec etiam admittimus consecutionem ad inferiores praelatos. Et sanè in exemplo illo de potestate dispensandi in irregularitate occulta, concessa à Concilio Tridentino, non video qua ratione dici possit, per illam redire ad antiquum ius: quod est enim illud ius antiquum, quod per illud decretum restituitur: nam humanum nullum ostendi potest, nec cum probabili fundamento dici potest, potestatem dispensandi irregularitatibus iure diuino continere Episcopis, cum ipsæ irregularitates per solum ius Ecclesiasticum incurrantur; ad quod etiam spectat statueri quomodo, vel à quo tollenda sint: quod maxime postulat ratio in penalis irregularitatibus, de quibus Concilium loquitur: nam poena à Superiore imposita, stando in diuino ac naturali iure, ab eo tantum remitti potest, vel ex eius voluntate.*

Ex his ergo ad primam interrogationem seu dubium supra numero 2. positum, ad quid scilicet se extendat hæc potestas dispensatiua praelatorum regularium, respondendum est, generatim loquendo, & ex vi iuris communis se extendere ad dispensationes Episcopales secundum idem commune ius, & non

& non vltra, sistendo in eodem iure. Quod totum satis probatum relinquitur, vt opinor, ex discursu facto. An vero ex vi specialium iurium, aut priuilegiorum amplius possint, non est nostrum ex professo disputare, quia non assumimus onus explicandi omnia iura, & priuilegia omnium religionum in particulari, sed de sola Societate in postremo huius tomi tractatu magna ex parte id prestare conabimur, vbi in lib. 9. de his etiam dispensationibus non nihil in particulari dicemus. Nunc solum in generali dicimus multa esse priuilegia concessa religionibus, præsertim mendicantibus, ratione quorum multo ampliorem habent potestatem dispensandi cum suis subditis, quam Episcopi habeant cum suis clericis, vel laicis. Specialiter autem notari potest priuilegium concessum à Pio V. fratribus Prædicatoribus anno 1571. die 22. Iulij, per quod extendit concessionem factam Episcopis à Concilio Tridentino sess. 24. c. 6. ad prælatos illius religionis, & consequenter aliarum, quæ in priuilegiis cum illa communicant. Et consequenter additur, vt possint, quidquid possunt Episcopi circa suos subditos, siue ex iure communi, siue ex Concilio Tridentino, siue ex quacunque alia facultate. Amplius verò extenditur horum Prælatorum potestas ex vi priuilegij Carthusiensibus concessi à Sixto IV. anno 1481. scilicet, vt Generalis per se, vel per quinquaginta prælatos inferiores ab ipso deputandos dispensare possint cum suis subditis in omnibus casibus Pontificalibus, nullo excepto, in foro conscientie tantum; sola dispensatio in homicidio voluntario conceditur cum limitatione, scilicet, citra altaris ministerium. Et plura alia de priuilegiis referuntur in Cõpendio Minorum, & à recentioribus diligenter tractantur.

Ex quibus, (vt ad particulaia descendẽdo, distinguimus hæc potestas declaratur) intelligi potest, potestatem hanc dispensationum regularium prælatorum ad omnem materiam Ecclesiasticarum dispensationum extendi quatenus in personis religionis locum habere potest. Dico autem ad omnem, distributione accommodatè accepta, pro singulis generibus, non verò pro omnibus casibus, qui sub ipsis generibus comprehendi possunt, vt statim explicabo. Nam hæc materia dispensationum in quatuor capita distribui, & comprehendi potest, quæ sunt vota, irregularitates, Ecclesiastica præcepta, & in religionis regularis obseruantia. In omnibus igitur materiis possunt prælati regulares cum subditis dispensare, quanquam fortasse non possint in rebus omnibus, quæ sub illis capitibus comprehenduntur. Et in primis de dispensatione votorum satis diximus in superiori tomo, vbi ostendimus, in religionis prælati duplicem esse potestatem circa vota subditorum, scilicet, dominatiuam, per quam possunt illa irritare, & iurisdictionis, per quam possunt in eis dispensare. Et omnia priora, quæ ad præsens non spectant, & satis fusè ibi tractata est, in altera constat eandem esse in his prælati, quæ est in Episcopis, quia in omnibus votis iure cõmuni dispensare possunt, quæ non sunt Summo Pontifici reseruata: & idè possunt religioni prælati, de quibus addere possumus, dispensationem circa vota reseruata, vel inuitæ, vel repugnantem, & noxiam illis esse; & ideo talem potestatem illis non concedi, nec moraliter potuisse. Solum enim sunt vota reseruata religionis, castitatis, & quarundam peregrinationum. Primum votum simplex religionis non habet locum in religionis, cum iam sint in termino illius voti (vt sic dicam). Et quævis religiosus professus possit votum arctioris religionis emittere, tamè illud non est votum religionis, nec reseruatum, & ideo sub hæc potestatem cadit, vt supra diximus. Quod si nouitius fortè habeat huiusmodi votum religionis, certum est nõ

posse prælatum religionis cum eo dispensare, quidquid sit de aliis votis. Votum autem castitatis constat esse indispensabile in religionis per omnem prælatum infra Summum Pontificem, quia votum illud solenne est. Quid autem dicendum sit de speciali iure Societatis quoad eos religiosos, in quibus votum illud simplex est, tractabimus infra tract. 10. lib. 3. c. 9. Nunc autem certum sit, durante statu, votum illud esse indispensabile, mutato autem statu, cum illo auferri: mutationem autem status nõ posse fieri per modum dispensationis, sed potius irritationis. Cetera autè vota peregrinationum à religionis fieri nõ possunt, nisi in ordine ad licentiam prælati, & ideo in potestate prælati erit dare, vel non dare talem licentiam, & votum irritare: confirmare autem votum, quantum est ex parte facultatis suæ, & alia via dispensare, non est illi cõcessum, nec talis potestas necessaria est moraliter. Quoad hæc ergo partem manet hæc potestas in terminis iuris communis, & Episcopalis iurisdictionis. Quædam verò alia, quæ specialiter circa quædam vota Societatis desiderari possunt, infra tractabuntur in illo tract. 10. lib. 6. cap. 11.

De potestate dispensandi in irregularitatibus.

Circa secundum caput irregularitatum positum num. præced. in materia de irregularitate tomo 5. multa diximus, & ex dictis hic num. 6. constat, ex vi iuris communis generalis non habere Episcopos potestatem dispensandi in irregularitate vt sic, & consequenter in omni irregularitate non prohibita, sed ad summum posse dispensare in aliquibus irregularitatibus, eis concessis iure communi, quæ autem illæ sint, proprio loco illius tomi 5. explicatū est. Similem ergo habebunt potestatem in tali materia prælati regulares, iuxta principium supra positum. Statim verò occurrebat quæstio de potestate dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto contractis, concessa Episcopis per Conciliū Tridentinum, an intelligatur cum proportionem cõcessa prælati regularibus. Sed ad hanc responsum est negatiue in n. 8.

Occurrit verò vterius interrogandū, stante illo iure (de quo præter alia loca, in disp. 21. de fide sect. 4. à nobis disceptatum est), & seculis priuilegiis, an possint religiosi exempti obtinere dispensationem talium irregularitatum occultarum, nam cum sint exempti à iurisdictione Episcoporum, non poterūt ab Episcopis dispensari, quia dispensatio est actus iurisdictionis, & ideo solu potest circa subditum exerceri. Si autem recurrendū illis est ad Summū Pontificem, erūt peioris conditionis, quàm alij clerici seculares, reportabuntq; incommoda ex sua exemptione. Hoc argumento vt possunt qui putant, similem concessionem factam Episcopis eo ipso extendi ad prælatos regulares habentes iurisdictionem quasi Episcopalem. Sed certè neque illud verum est, vt dixi, neque argumentum id persuadet. Certum est enim potuisse Concilium solis Episcopis illam facultatē concedere, omnes inferiores prælatos, etiam exemptos, & regulares excludentem. Quid ergo tunc ad argumentū esset respondendum? Idem igitur nunc respondemus. Dico ergo, regulares tunc dispensari posse ab Episcopis in his casibus, vnumquemque ab Episcopo illius diocesis, in qua commoratur, & domicilium habet: nã, licet sit exemptus, tamè quoad aliquos actus Episcopi proprios, & omnibus respectibus necessarios, est illi subiectus, vt alias dixi tomo 4. disp. 28. sect. 4. tractando de approbatione cõfessorum. Quod maxime verum habet quoad actus iurisdictionis voluntaria, qui cedunt in fauorem, & vtilitatem subditi, qualis est actus dispensationis. Estque optimum exemplum de actu lucrandi indulgentias, nam licet indulgentia sit Episcopalis, possunt

De voto castitatis.

De voto peregrinationis.

XI.

XII.

An religiosi dispensari valeant ab Episcopis in quibus non sunt superiores.

Prælati non Episcopi.

De voto castitatis.

possunt religiosi illa frui, ut in 4. tom adnotavi disput. 52. sect. 1. n. 3. & tamen indulgentia etiā suo modo est actus iurisdictionis: qui solum circa subditos exercetur.

XIII.
Ad: al: m
dispensatio-
nem requirit
licentiam
praelati
sane aliqui.

Dubitabit verò aliquis, an ad huiusmodi dispensationem sit necessaria licentia praelati, vel saltem an per eius prohibitionem possit impediri. Videtur enim utrumque affirmandum, quia religiosus non habet velle, aut nolle: ergo non potest sine licentia praelati talem dispensationem procurare, aut illa gaudere. Confirmatur, quia ob similem causam non potest religiosus indulgentiam Episcopalem lucrari invito suo praelato, vel sine licentia eius. Denique, cum isti sint actus iurisdictionis voluntariæ, non videntur posse exerceri ab Episcopo circa alienum subditum invito eius praelato. Atque ita sentiunt Emmanuel Roder. tom. 1. quæst. 22. art. 3. & aliqui moderni. Sed distinguendum est de actu quoad valorem suum, ut habeat effectum, vel solum quoad honestatem, ut recte habet. Item separare oportet actiones prævias, & necessarias ad obtinendam, huiusmodi gratiam ab Episcopo, ab ipsamet gratia. Sæpe enim ad obtinendam dispensationem (& idem cum proportionem est de indulgentia) necessarium est aut domo exire, aut literas scribere, vel aliquid simile operari, quod prohibente praelato religionis, aut sine licentia eius, iuxta religionis statuta fieri non potest, & has vocamus actiones prævias ad gratiam obtinendam, ratione quarum contingere potest, ut talis gratia sine facultate proprii praelati non possit ab Episcopo obtineri, saltem licito, & religioso modo. Nihilominus tamen, si religiosus cum affectu procuret dispensationem, & necessaria ad illam obtinendam faciat, & Episcopus eam concedat, valida erit, siue in modo procurandi religiosus recte egerit, siue non, quia ille defectus est extrinsecus, & accidentarius ad valorem talis gratiæ. In hoc ergo sensu verum est, dispensationem hanc posse obtineri sine licentia praelati, in id ipso invito: quod de indulgentia affirmavit Palud. in 4. d. 20. quæst. 4. n. 48. & idem est de hac dispensatione, quia utraque est iurisdictionis voluntariæ, & est ad utilitatem subditi sine vilo incommodo eius, vel religionis, & ideo ab illa non censetur religiosus exemptus: maxime quando talis potestas non communicatur proprio praelato, quia per exemptionem non debet fraudari commune omnium commodum.

XIV.
A: quæ
regulæ
dispensatio
Episcopo, si
suis praelati
sunt similis
habent potestatem
arguitur
propter as-
sum.

Nonnullum verò dubium esse posset, postquam per privilegia similis facultas concessa est praelato per privilegia religionis, an eo non obstante, possit religiosus petere ab Episcopo dispensationem irregularitatis factam respectu regularis praelati, non est ablata potestas ab Episcopo, ceditque in maiorem favorem religiosi ut non auferatur, sicut, licet Pontifex daret Rectori huius Collegij facultatem ad aliquam indulgentiam suis religiosis concedendam, non propterea essent prohibiti idem religiosi quominus Episcopalem indulgentiam lucrari possint. In contrarium autem est, quia per illam cōcessionem, seu extensionem videtur cōsequenter extendi, & quasi consummari exemptio religiosorum quoad hunc actum: nam inde maxime colligimus, religiosum posse hanc dispensationem obtinere ab Episcopo in terminis Concilij Tridentini, quia non habet alij Episcopum, neque aliquem vice eius quoad talem actum: ergo eo ipso quod praelato eius datur iurdictio Episcopalis etiam quoad talem actum, cessat subiectio ad Episcopum respectu eiusdem actus. Confirmatur primo: nam si à principio Concilium Tridentinum concessisset illam facultatem Episcopis, & regularibus praelatis habentibus quasi Episcopalem iurisdictionem, tunc non diceremus, religiosum

posse dispensari ab Episcopo, sed tantum à suo praelato, quia illa facultas solum esset concessa vicinior, quæ praelato respectu in ordine ad suos subditos: ergo idem dicendum est si per subsequens privilegium in eodem statutu constituitur. Confirmatur secundo, quia alias possent nunc religiosi exempti obtinere ab Episcopis dispensationes in omnibus casibus Episcopalis, etiam si possint easdem obtinere à suis praelatis per communem, & ordinariam potestatem supra explicatam: quod videtur esse contra morem, & contra religiosum ordinem, atque exemptionem. Sequela patet, quia per potestatem concessam praelatis religionum quoad hos actus iurisdictionis voluntariæ non censetur ablata generalis potestas ab Episcopis, sed accumulatio in utroque esse poterit, sicut in alio casu dicebamus, nam hoc etiam erit in maius commodum religiosorum.

Hæc res dubia profecto mihi videtur, ideoque securius est hanc posteriorem partem sequi in praxi obtinendo semper huiusmodi dispensationem à proprio praelato, vel de licentia eius, si recurrere quis velit ad Episcopum eo, quod praelatus non vult, vel non audeat sua potestate uti, aut de illa dubitare. Nam quod de consensu praelati possit Episcopus hanc dispensationem dare, multi affirmant. Est autem probabile, praelatum exemptum eo ipso quod ipse habet potestatem dispensandi, habet etiam ius, ut nullus se intromittat circa suum subditum, neque ipsum præveniat in usu talis potestatis, & propterea tunc necessarium esse consensum praelati, etiam ut sit valida dispensatio: quod secus est quando praelatus ipse potestatem non habet. Est autem hoc maxime verisimile quando dispensatio attingit aliquo modo disciplinam regularem, ut magis explicabitur in c. 16. circa absolutionem. Nam exemptio, & potestas concessa praelatis religiosis magis respicit commune bonum religionis, quam commodum singulorum; & ideo licet prius religiosus velit cedere privilegio exemptionis, non potest in detrimentum religionis: ita ergo quantumvis posset obtinere dispensationem ab Episcopo occulte, & sine scientia sui praelati videatur commodum priuati religiosi, potest esse noxium, & iniuriosum religioni, ac proinde repugnans privilegio exemptionis. Quod non solum in absolutionibus à censuris & peccatis, (ut infra dicam) sed etiam in dispensatione præceptorum tam communium Ecclesiæ, quam propriorum religionis, mihi videtur certum.

Circa irregularitatem verò dispensationes videtur res magis dubia, quia continet purum favorem, & nullum nocumentum possunt asserere religioni. Et, ut recte in simili adnotavit Paludanus supra in num. 13. reliquæ absolutiones, vel dispensationes non sunt omnino iurisdictionis voluntariæ, quia per se procedunt à potestate tam ligandi, quam solvendi, ligandi (inquam) per præceptum, vel per iustam sententiam; dispensatio autem in irregularitate, sicut & concessio indulgentiæ, nihil videtur habere iurisdictionis involuntariæ, sed esse purus favor, & gratia. Nullum etiam videtur asserere posse incommodum religioni, quia per illam nec remittitur delictum, nec tollitur à praelato religionis ius iudicandi, & vindicandi illud in eo foro, in quo illud nouerit: nec etiam propter talem dispensationem cogitur praelatus religionis concedere facultatem subdito recipiendi ordines, vel alium similem actum exercendi: solum ergo tollitur inhabilitas quædam, quod pertinet ad purum favorem sine alicuius nocumento. Propter hæc ergo non videtur omnino improbabile, dispensationem dari ab Episcopo personæ exemptæ sine licentia praelati eius in materia irregularitatis alias dispensabilis ab Episcopo.

ab Episcopo, esse validam, etiam si prelati regularis habeat potestatem dispensandi in illa: maxime quando hac potestas solum data est per extensionem quandam concessionis factæ à Concilio Tridentino. Quia per illam iam antea habuerunt Episcopi hanc potestatem etiam in religiosis exemptos, ut probauimus, & difficilius excluditur, quam non admittitur hospes; nec satis probatur potestatem illam fuisse ablatam per subsequens priuilegium. Et ideo non est similis ratio si à principio non fuisset data, aut si decretum Concilij in aliam formam factum fuisset.

XVII. Nihilominus contrarium, ut dixi, securius est, & saltem ad seruandum rectum, & religiosum ordinem existimo esse necessarium, & non dubito quin prelati religionis possint stricte prohibere suis subditis, ne ab aliis quam à suis prelati talem dispensationem postulent, quando ipsi possunt eam concedere. Denique quoad alias irregularitates extra illud decretum Concilij Tridentini nulla potest esse controuersia, quia propriæ nullæ sunt aliæ irregularitates Episcopales, quantum est ex vi iuris communis: quoties consuetudine in aliquibus dispensare possunt, in eis id etiam obseruandum erit circa religiosos, quod consuetudine fuerit introductum, aut retentum: non existimo autem esse talem consuetudinem quod religiosi exempti, ab Episcopo dispensentur, sed quidquid iuris ipsi habebant, translatum esse censetur ad regularem prelatum exemptum respectu suorum subditorum. Cõsultenda ergo sunt vniuersi cuiusque religionis priuilegia, prout sunt consuetudine interpretata, & recepta, & ita obseruanda sunt. Quapropter non descendam hoc loco ad examinandas singulas irregularitates, & particulares casus, an in illis possint, vel non possint prelati regulares dispensare cum suis subditis, quia cum non sint huiusmodi casus definiendi ex iure communi, sed ex particularibus priuilegiis, alienum est à presenti instituto, in propriis autem locis, & materiis, cum occasio occurrerit, non omittemus ea, quæ opportuna visa fuerint.

De potestate dispensandi in præceptis Ecclesiæ.

XVIII. Tertium caput dispensationum ex recensitis n. 10. est in præceptis Ecclesiæ. Circa quod eadem generales regulæ obseruandæ sunt: nam quidquid iure communi præstat Episcopi in hoc genere circa suos subditos, possint etiam hi prelati circa suos, ex illo principio, quod illi prelati habent iurisdictionem quasi Episcopalem, quæ ad hoc genus dispensationum maxime necessaria est: quia huiusmodi potestas regulariter versatur in his rebus, quæ frequenter, & ordinariè occurrunt, pro quarum dispensatione non potest semper fieri recursus ad Summum Pontificem: quæ necessitas non minus in religiosis personis, quam in cæteris euenire solet: ergo eo ipso quod eximuntur ab ordinaria iurisdictione Episcoporum, necessum est ut prædicta potestas eorum prelati concedatur, alias non possent perfectè, imò nec commodè gubernari. Et intelligitur hoc amplius, si addamus quod supra n. 14. & 17. insinuauimus, ita esse hos religiosos exemptos, ut iam non possint dispensationes in his præceptis ab ordinariis Episcopis obtineri, quia tota cura animarum eorum ablata est Episcopis, & translata in prelatos religionis: salus autem animarum in præceptorum obseruatione posita est, & ideo potestas dispensandi in præceptis ad curam animarum principalem, & Episcopalem maxime pertinet: ergo quibus prelati commissa est hæc cura in religionibus, eisdem hæc potestas data est.

XIX. Vnde obiter colligo, quando in aliquibus specialibus priuilegiis harum religionum, dicitur ut poi-

sint in his præceptis dispensare, vel per illa priuilegia nihil præter ius commune conceditur, sed declaratur ius, quod ipsam exemptionem comitatur, vel certè si Pontifex aliquid amplius concedere intendit, illud certè erit ut faciliori modo, vel ex leuiori causa id facere possit, quam valeret ex solo communi iure. Exempli gratia concessit Iulius III. Societati ut eius Præpositus possit per se, vel alios professos dispensare cum personis Societatis circa ieiunia, & cibos prohibitos; quæ concessio videtur specialiter facta propter illam particulam, *per se, vel alios Societatem ipsam professos*. nam alioqui illa facultas muneris Præpositi coniuncta erat: unde illa concessio à Gregorio XIII. generaliter extensa est, ut per quoscunque religiosos Societatis talis dispensatio fieri possit. Ad hunc ergo modum similia priuilegia expendenda, & intelligenda sunt.

XX. Alia regula negatiua est, quidquid in hoc genere Episcopi non possunt iure communi, prelati etiam religionum non esse concessum, nisi ex speciali aliquo priuilegio aliud constet. Probatur, quia secluso huiusmodi priuilegio, non est unde prelati regulares habeant maiorem potestatem, seruata proportionem. Quod autem per priuilegium Pontificis hæc potestas possit ampliari, nullus Catholicus dubitauit; imò quod in multis ita factum sit, consuleri bullas religionum, vel compendia priuilegiarum, facile constabit. Hic autem iterum occurrit illa questio, quæ nimirum regula vtendum sit ad cognoscendum quid in hoc genere concessum sit, vel prohibitum Episcopis, & consequenter his prelati, an scilicet, quidquid non prohibetur, censetur concessum. Sed hanc questionem latè tractauimus in materia de Legibus, lib. 6. c. 4. & de censur. disp. 7. sect. 4. ubi censui, ea tantum censeri in hoc ordine concessa, quæ vel expresso iure canonico scripto, vel usu consuetudine extensam diximus ad omnia, quæ moraliter, ac prudenter ad regimen ordinarium animarum fuerint necessaria, nam extensionem hanc ipsa etiam ratio naturalis postulat, ut supra etiam num. 10. retigimus tractando de dispensatione in votis seruatis. Iuxta hæc ergo principia de huiusmodi potestate prelatorum regularium iudicandum est.

XXI. Suboritur tamè hinc questio, an quidquid in hoc genere Episcopis expressè concessum est iure speciali, censetur consequenter concessum his prelati. Exemplum sumamus ex Concilio Tridentino sess. 23. c. 11. & 13. de Reformat. ubi prohibet, ordinatum in inferiori ordine ante annum ab eo suscepto ascendere ad superiorem; dat tamen facultatem Episcopis dispensandi in ea prohibitionem. Vnde statim oritur dubitatio, an prelati regularis possint dispensare in huiusmodi interdictis. Quidam ergo absolute affirmant, huiusmodi decreta extendi ad hos prelatos, propter generalia principia supra posita, & consequenter aiunt in exemplo posito prelatum religiosum posse dispensare in interdictis. Alij verò, licet generalem illam doctrinam admittant, in illo exemplo hoc negant, quia putant Concilium ibi non concedere illam facultatem Episcopo, tanquam prelati eius, cum quo dispensatur, sed tanquam ordinatori, putant enim hanc dispensationem non pertinere ad ordinarium prelatum clerici ordinandi, sed ad eum Episcopum, à quo ordinandus est, ita ut si vnus concedat dimissorias licteras, & alius ordines collaturus sit, dispensatio interdictorum non pertineat ad concedentem dimissorias, sed ad ordinantem. Vnde rectè inferitur, prelatum religionis ut sic non posse in hoc dispensare, quia non est ordinator. Dico autem *ut sic*, quia si contingat prelatum regularem habere priuilegium conferendi minores ordines suis subditis,

tunc

tunc poterit cum illis dispensare in interstitiis talium ordinum, non quidem ex mera iurisdictione, quam habet ut praelatus, sed ex peculiari concessione, quae ad illum extenditur quatenus ordinator est. Ita exposuit Emmanuel Rodericus tom. 1. Quaest. reg. q. 22. art. 7. dicitque constare ex contextu Concilij, & ex declaratione Card. prout refert (ait) Pater Gaspar Paraselus in lib. Privilegiarum.

XXII.

Ego verò in lib. manu scripto, earundem Declarationum Cardinalium, quem apud me habeo, magna diligentia, & auctoritate collectum, ad dictam sessionem 23. c. 11. in verbo illo, *Iudicio Episcopi*. hanc declarationem additam inuenio, quam etiam refert Marzilla lib. 3. tit. 13. c. 9. *N. non potest Episcopus, ad quod dimissus est ordinandus, hoc iudicium facere*. Quibus verbis aperte exponit contra superiorem interpretationem, hanc dispensationem non pertinere ad ordinantem, sed ad tantum dimissorias literas. Et ad c. 13. ad illa verba, *Si per annum saltem, &c. additur, Ob eminentiam doctrinae, & bonum i. Simon. um, & de consensu Ordinarij Summus Pontifex concedit, ut breviori tempore, &c.* Vbi dum consensus Ordinarij, non ordinatoris postulat, aperte declaratur hoc ius esse praelati superioris, non Episcopi conferentis ordines. Praeterea in ipso Concilio nihil inuenio, ex quo satis colligi possit loqui de Episcopo ordinante: nam in c. 10. verba sunt, *Hi vero non nisi post annum a susceptione ultimi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur, nisi necessitas, aut Eccl. sit utilitas iudicio Episcopi aliud expos. ar.* Vbi constat, nomen Episcopi de se indifferens esse ad ordinantem, vel tantum dimissorias literas, & ex circumstantia literarum potius colligitur (ut Cögregatio Cardinalium significavit) sermonem esse de Episcopo, qui sit proprius praelatus eius, qui ordinatur: nam ille melius potest iudicare de tali necessitate, vel utilitate. Similiter in c. 13. solùm dicitur, *Nisi aliud Episcopo videbitur*. rectè igitur Concilium exponitur de Episcopo superiore eius, qui ordinandus est. Vnde consequenter erit probabilis prior sententia, etiam quoad illud particulare exemplum: cui fauet secunda declaratio Cardinalium supra citata, quatenus utitur nomine *ordinarij*, hæc enim vox propriè admodum comprehendit Provinciale, seu praelatum religionis respectu suorum inferiorum.

XXIII.

Sed quod attinet ad hoc particulare exemplum, cum dispensatio hæc non solum ex iudicio, sed etiam ex voluntate pendeat, ex hac parte dici potest dispensatio hæc pendere ab Episcopo ordinante: quantumvis enim Episcopus, vel praelatus, qui dat dimissorias literas, iudicet expedire, & facultatè det ut interstitia non serventur, potest Episcopus, qui ordines daturus est, non esse contentus tali dispensatione. Vnde quantumvis praelati religionum cöendant, huiusmodi dispensationem respectu suorum subditorum ad eos pertinere (ut est certè satis probabile) nihilominus (quod in praxi sæpe vidimus) potest Episcopus eam non acceptare, quanquã fortasse sine rationabili causa id licitè facere non possit. E contrario verò, quamvis Episcopus velit conferre ordines religioso, vel alteri sibi non subdito, non servatis interstitiis, non videtur posse iurare id facere, nisi ex iudicio Episcopi dantis literas dimissorias, propter declarationem adductam, & rationem factam. Vnde quoad hanc partem non dubito, quin hæc dispensatio, seu iudicium hoc, respectu regularium, pertineat ad eorum praelatos, ad quos spectat dare illis dimissorias literas. Atque ita nomen Episcopi in dictis decretis ampliandum esse ad inferiorem praelatum habentem iurisdictionem quasi Episcopalem sufficientem ad dandas dimissorias literas: ita enim ex dicta declaratione colligitur, nec possunt commodè illa decreta aliter intelligi, cum hæc personæ non habeant alium Episcopum,

ad quem possit, vel debeat hoc iudicium pertinere. Quocirca, si praelatus religionis det subdito dimissorias literas simpliciter ad suscipiendum ordines a quolibet Episcopo, nulla facta mentione interstitiorum, non videtur posse Episcopus ordinans solo suo iudicio à voluntate dispensare cum illo in interstitiis: quia omnis facultas simpliciter data, debet in reliquis omnibus intelligi secundum ius: ergo ita sunt intelligenda huiusmodi dimissorias literæ: ergo ex vi illarum non intercedit proprii praelati, & ordinarij iudicium circa talem dispensationem: ergo non potest ab ordinatore fieri, attentata dispositione, & declaratione Concilij Tridentini supra dicta. Vnde tandem concluditur, hanc dispensationem in rigore magis pertinere ad praelatum Ordinarium, quam ad ordinatorem, quod hi distincti sunt: nam licet uterque concurrere deberet, tamen acceptatio ex parte ordinantis magis videtur pertinere ad vsum dispensationis, quam ad valorem eius: sicut etiam dimissoriae literæ parum viles erunt, si Episcopus nolit eis vi, seu ordines conferre, & nihilominus de se validæ sunt: ita ergo videtur dicendum de hac dispensatione: ergo, quantum est ex se, seu quantum ad actum primum (ut sic dicam) per quem persona fiat habilis, & sine impedimento potestas Episcopalis quoad hanc dispensationem videtur extendi ad praelatos religionis, quous ipsi modestiæ causa rectè faciant non tam vnde verbo dispensandi, quam rogandi Episcopos in literis dimissorias, quas conferunt, ut admittant suos subditos ad ordines, non servatis interstitiis, quia sufficiens necessitas, vel utilitas intercedit.

Non obstat autem hac declaratione in illo particulari casu, quod ad generalem questionem spectat, non censio indistinctè admittendam esse universalem regulam, quam alij in n. 21. inducebant, ut ubicunque per specialia verba conceditur Episcopis potestas dispensandi in aliqua lege Pontificia, aut conciliari, eo ipso intelligenda sit concessa praelatis regularibus respectu suorum subditorum: nam licet fortasse regulariter ita sit, non tamen videtur id esse infallibile propter rationes in superiori puncto adductas. Consideranda ergo in primis est materia legis: nam si illa pertineat ad salutem animarum, & ad bonum regimen spirituale earum, sine dubio admittenda est illa extensio, quia quoad hæc curam, ut supra dicebam, praelatus religionis habet totum onus Episcopale: ergo & habere debet omnem potestatem, quæ ratione illius oneris, & curæ videtur concessa. Si autem materia legis non sit huiusmodi, sed pertinet ad externum ordinem Ecclesiasticum, ut omnia scilicet decerent, & ordinarent, tunc erit ulterius considerandum, an materia, & causa dispensationis talis sit, ut requiratur notitia & providentia proprii praelati, vel solum concedatur specialiter Episcopo propter maiorem rei auctoritatem, vel gravitatè, vel ut non frequenter ac vulgariter fiat. Quando enim concessio est prioris generis, signum est, intentionem legis esse, dispensationem committere praelato Episcopali (ut sic dicam) & in eo sensu accipi tunc nomen Episcopi. Et hæc ratione interpretari sumus decreta propiè tractata, & ex declaratione Cardinalium adducta, ad omnia similia decreta regulam, seu argumentum sumimus. At verò quando facultas datur posteriori modo quod ex circumstantiis literarum constare poterunt, non facile est recedendum à proprietate verborum, nec specialis concessio per generales regulas mensuranda est, ut supra latius est declaratum: sed hic modus concessionis raro invenitur in puris præceptis, nisi aliqua irregularitas, vel inhabilitas dispensanda interueniat: de quibus iam dictum est.

De potestate dispensandi in obseruantia, seu obligationibus ipsius religionis.

XXV. Quartum caput harum dispensationum positum numer. 10. est regula ipsa, seu obseruantia regularis. Circa quod generatim loquendo certum in primis est, potestatem hanc dispensatiam versari posse circa hanc materiam, ita docet gloss. vlt. in c. vlt. 20. q. vlt. & in c. carnem. de Consecr. d. 5. Sylu. verb. Dispensatio. n. 20. Angel. eodem verbo, n. 8. & alij infra citandi. Hoc colligitur primò ex cap. Cum ad monasterium. de statu monachor. vbi in fine sic dicitur, Nec esset abbas quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare: quia abdicatio paupertatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa regulae monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere. Ex quibus verbis duo colliguntur. Vnum est, non posse praelatum dispensare in substantialibus votis status religionis, neque in aliquo actu, qui sit contra obligationem eorum: quòd hic pro certo supponimus ex supra dictis, & ex Concilio Trident. sess. 25. de Regular. c. 1. dicente, Cum compertum sit ab eis (scilicet à praelatis) non posse ea, quae ad substantiam regularis vitae pertinent, relaxari. Vnde in praesenti vota substantia non comprehendimus sub obseruantia regularibus, sed cetera, quae ad regulam pertinent. Aliud ergo in illis verbis insinuat, est, posse praelatum in his obseruantis, & regulis dispensare. Imò per argumentum à contrario videtur ex illis verbis colligi, posse dispensare in omnibus, quae non sunt contra substantiam votorum: nam si ideo non potest dispensare in proprietate, quia est contra substantiam voti, poterit in his, quae contra substantiam non fuerint. Sed, quòd spectat ad hanc vniuersalitatem, argumentum non est efficax, quia non oportet ut ratio illa Pontificis sit adaequata, potuit enim adduci ut notior, & efficacior, quidquid sit de assertionem, de qua paulo inferius. Rectè autem inde colligitur simpliciter, aut indefinire, quòd possit dispensare in regula: nisi enim hoc supponeretur, neque oportuisset illam specialem exceptionem facere, neque speciali ratione illam confirmaret.

XXVI. Ratio etiam hoc conuincit, tum quia si possunt dispensare in praeceptis Ecclesiae, multò magis in regulis religionum: tum etiam, quia haec dispensatio frequenter necessaria est: ergo oportet ut sit commissa Ordinario praelato, alias non esset sufficienter regulari vitae prouisum. Vnde constat, potestatem hanc conuenire praelatis ex vi iuris communis supra declarati. Probat, quia iurisdicção Episcopalis extenditur ad ea omnia, quae spectant ad subditum, iuxta proportionem ad statum eius. Sicut ergo Episcopus potest dispensare cum clerico seculari in obligationibus pertinentibus ad statum clericum, vel ad officium, aut beneficiu eius; ita cum proportionem potest praelatus regularis dispensare cum subditis in propria eorum regula. Vnde etiam Episcopus potest dispensare cum religiosis sibi subiectis, & non exemptis, in his, quae pertinent ad obseruantiam regulae: ergo haec facultas per exemptionem eo ipso transferatur in praelatum regularem. Dices: Cur ergo interdum dantur religionibus specialia privilegia? Respondeo breuiter, sicut in superioribus saepe dixi, talia privilegia vel nihil nouum concedere, sed explicare magis potestatem horum praelatorum ad tollendos scrupulos, vel certe concedere aliquam peculiarem circumstantiam, ad quam ordinaria potestas non extendebatur, ut v.g. ad dispensandum facilius, vel cum minori necessitate. Quid autem horum duorum per privilegium intendatur, ex materia, & verbis, aliisque circumstantiis eius colligendum erit.

Franc. & uar. de statu relig. Tom. IV.

Quari autem potest, an haec potestas extendatur solum ad regulas directiuas (ut sic dicam) quae non obligant ad culpam saltem mortalem, vel extendatur etiam ad quamcunque obligationem grauem, & sub mortali, prouenientem ex regula, vel ex peculiari voto religionis, prae ter tria substantialia. Haec dubitationem attingit Emmanuel Rodericus to. 1. q. 26. art. 1. distinguitque in religione tria: quaedam substantialia religioni ut sic, quae indispensable sunt per hanc potestatem, ut diximus, alia substantialia tali religioni, ut talis est; quae indicauit Concilium Trid. c. 1. de Regul. sess. 25. in illis verbis, Quae alia sunt al cuius regula, & ordinis pecuniaria vota, & quosdam praecepta ad eorum respectum essentiam pertinentia. & huiusmodi putat dictus auctor esse omnia vota, quae in aliqua religione, prae ter tria substantialia, sunt: item omnia praecepta, quae ad peccatum mortale obligant. In tertio ordine sunt, & accidentaria dici possunt, omnia, quae in regula continentur, & hunc gradum obligationis non imponunt. Respondet igitur, potestatem praelatorum regularium extendi ad omnia tam in secundo, quam in tertio ordine contenta: quia Concilium solum dixit, religiosum praelatum non posse relaxare ea, quae sunt de substantia regularis vitae, & non dixit, huius, vel illius vitae regularis, sed absolute, vitae regularis, quae solum sunt ea, quae pertinent ad primum ordinem: ergo significat, in aliis omnibus posse; quia exceptio firmat regulam in contrarium. Citat enim in hanc sententiam D. Bern. lib. de Praecept. & disp. D. Th. 2. 2. q. 47. a. 3. Sylu. verb. Dispensatio. q. 1. 4. Sot. 1. de Iustit. q. 7. a. 3. & lib. 8. q. 3. a. 1. dub. 2.

Haec verò doctrina non potest, ut existimo, ita vniuersaliter, & sine limitatione defendi, ideoque ad explicandam veritatem, distinguamus vota pecuniaria vniuscuiusque religionis à regulis, & praeceptis obligantibus sub mortali: est enim inter haec duo maxima differentia, quamuis ambo ex regula, & ex voto oriri videantur: nam & vota pecuniaria secundum regulam sunt, & praecepta regulae aliquo modo includunt votum obedientiae: est nihilominus differentia, quòd licet regula ordinet ut votum fiat, tamen immediate non oritur obligatio ex regula, sed ex voto, ut in religione Minorum regula ordinat fieri quartum votum abstinendi à carnibus, facto autem voto, comedere carnes est sacrilegium immediate oppositum voto: è contrario vero, si sola regula immediate obligat ad eandem abstinentiam, v.g. etiam si obliget sub mortali (ut quidam de Carthusianis dicunt) non est obligatio voti, neque excedit obligationem praecepti humani Ecclesiastici: quia votum obedientiae, quod illa lex supponit, obligat immediate ad seruandam vnamquamque regulam, ut supra dixi, sed vnaquaeque regula obligat iuxta sensum, & virtutem suam.

Primò ergo de obligatione ex votis assero, praelatum religionis respectu non posse dispensare in omnibus votis, quae vnaquaeque religio sibi assumit tanquam substantialia suo instituto: imò, propriè loquendo, nunquam credo posse dispensare in talibus votis secundum se, licet in aliquo actu vel usu eorum interdum possit dispensare iuxta legem, aut morem religionis. Explico & probò hanc assertionem primò inductione, quam idem auctor facit, adducens in primis specialia vota Professorum Societatis. Praecipuum est quartum votum obediendi Summo Pontifici in missionibus: de quo nec cogitari quidem potest, quòd per praelatos Societatis dispensari possit, tum quia non est simplex, sed solenne, ut constat ex Constitutionibus, & ex Bullis Pontificiis, & infra suo loco tract. 10. lib. 6. c. 4. dicitur: tum etiam, quia est de substantia specifica huius status, vel professionis, quam nulla potestas infra Pontificiam immutare potest: tum etiam, quia esset valde

XXVII. An haec potestas extendatur ad graues obligationes.

Triplex ordo obligationum in religionibus.

XXVIII. Praenotatio pro vera responsione duplicis obligationis, ex voto, aut ex regula.

XXIX. Prima assertio de votis aliis à communibus omnium Religionum.

valde absurdum quod inferior praelatus possit dispensare in voto facto de obediendo superiori praelato. Præterea, quia vel praelatus Societatis potest dispensare in hoc voto quoad usum eius; & hoc non, alias, præcipiente Pontifice missionem alicui professo, posset praelatus Societatis dispensare, ne illi obediret. quod absurdissimum est, nam hoc modo præceptum Papæ subiceretur voluntati praelati Societatis: vel posset dispensare in ipso voto secundum se, id est, auferendo totum ipsum votum; & hoc repugnat intentioni; & menti totius Societatis, & immutabilitati professionis eius, quam habet iuxta Bullas Pontificias, & iuxta intentionem vouentium, & acceptantium, nec tantum ut professio esset, sed etiam ut talis professio esset. Et hoc confirmant verba Concilij Tridentini dict. cap. i. ita intelligenda: *Si enim illa, quæ bases sunt, & fundamenta totius regularis disciplina, ex illis non fuerint conservata, totum corrumpat ad finem necessarium est.* Ratio enim, quam hæc verba continent, cum proportionem vim habet in tali religione, secundum suam speciem (ut sic dicam) considerata, non enim debet esse itabile, ac firmum hoc ædificium secundum generalem rationem tantum, sed etiam secundum propriam; hæc autem euerteretur, si aliquod ex fundamentis eius relaxari posset. Denique quæ de aliis votis dicemus, de hoc à fortiori conuincunt.

XXX.
Arguitur non videri hoc assertum procedere de votis simplicibus profectorum Societatis.

De aliis igitur votis simplicibus, quæ religiosi Societatis post professionem emittunt, idem dicendum censo. Sed prius obiter aduerto, prædictum auctorem inter hæc vota Societatis ponere votum de deo regendo ea quæ aliquis per ministerium procurasse reperitus fuerit. Sed de hac re non fit in Societate votum, sed de detegendo eo, qui dignitatem ambiret. Itaque idem de his votis dicimus, quamuis de illis nonnulla esse possit maior ratio dubitandi iure dispensabilia, unde, cum non sint peculiariter reservata, videtur probabile subesse potestati praelati, quia, ut diximus iure communi omnia vota Episcopalia sunt dispensabilia à praelato religionis in suos subditos, omnia autem vota, quæ specialiter reservata non sunt Pontifici, sunt Episcopalia. Unde confirmatur, nam si religiosi Societatis non essent excepti à iurisdictione Episcoporum, Episcopi iure suo possent in his votis dispensare, eo ipso quod reservata non sunt: ergo, iuxta superius dicta, per exemptionem translatus est hoc ius in praelatos Societatis. Imò, si non fuisset ita translatus, videretur adhuc manere in Episcopis, quia nullo alio iure, vel speciali prohibitionem illis sublatum est.

XXXI.

Nihilominus pro certo iudico, Generalem non habere in Societate talem potestatem. Quod in primis mihi persuadet communis totius religionis consensus: nam cum ipsa talem potestatem in se non agnoscat, neque aliquem eius usum aliquando usurpet, imò nec sibi convenientem iudicat, signum profecto est nec talem potestatem ipsi esse datam, nec intentionis, aut voluntatis eius esse ut Generalis, vel praelati illam habeant. Secundò declaratur ratione, quia hæc potestas nec speciali iure concessa est Societati, in nulla enim Pontificia Bulla est illius mentio, neque in omnibus Societatis constitutionibus: neque etiam communi iure concessa est, quia nullum commune ius est, quod de similibus votis loquatur, & quod de cæteris votis Episcopalibus loquitur, non potest rationabiliter ad hæc vota extendi.

XXXII.

Et quoniam in hoc ultimo est punctum difficultatis, variis modis illud ostendo. Primò ex principio iuris, quod sub generali cõfessione non veniunt ea, quæ specialem rationem habent, & difficultatē, quæ proinde non esset aliquis verisimiliter in spe-

cie concessurus, sed in his votis est specialis difficultas, & optima ratio, ob quam non sit verisimile sub illa generali cõfessione cõprehendi, & committi praelato religionis: ergo, Explicatur minor, quia illa vota licet non sint absolute de essentia huius status, sunt tamen valde propinqua, & quali propriæ passionis eius, pertinentiæ ad cõsentiam, & quali integritatem eius: hæc autem non cõmittuntur praelato, sed supponuntur potius tanquam bases huius religionis in suo gradu, ut in cæteris reb. possit praelatorum potestas convenienter administrari, iuxta ea, quæ ex Concilio Tridentino supra citavimus.

Secundò declaratur in hunc modum, quia in religio duplicia vota distinguere possunt, quædam dici possunt personæ, alia status: status voco ea vota, quæ ex vi cuiuscunque instituti emittuntur, & exi-guntur veluti ad complementum professionis talis status: personæ autem appello ea vota, quæ vni-quique religiosus suo arbitrio superaddit ultra exigentiam status. Ius ergo commune concedit potestatem praelato ad dispensandum in votis personælibus, seu privatis religiosorum; non tamen licet nobis extendere hoc ius ad vota status, & communia religioni: quia nec ratio potestatis, nec virtus religionis suffragatur. Vota enim ipsius status quasi complent, & perficiunt proprium onus talis religionis, alia verò personalia vota sunt onera superaddita toti ponderi religionis, & ideo in his posterioribus potestas dispensandi utilisissima, & necessaria est, in prioribus verò, moraliter loquendo, non est utilis dispensatio, & ideo nec potestas ad illam prestandam utilis esset religioni; unde nec verisimile est illi esse datam. Nam licet fingatur casus, in quo talis dispensatio posset esse utilis, adeo est rarus, & difficilis, ut propter illum non fuerit concedenda hæc potestas, neque aperienda via ad multiplicandas huiusmodi dispensationes. manifest ergo hæc potestas in eodem Pontifice qui religionem confirmavit, eamque sub suo patrocinio recepit. Et confirmari potest hæc ratio, quia potestas dispensandi vota in praelato religionis respectu subditorum non magis extenditur, quam potestas irritandi, quia hæc est magis intrinseca, unde eius usus & universalius, & facilius esse solet: sed praelatus Societatis non potest hæc vota irritare, ut est certissimum, quia pertinent suo modo ad ipsum statum: ergo nec dispensare in eis potest.

Tertio declaratur in hunc modum, quia hæc dispensatio vel dari potest à praelato in toto voto, aut in aliquo actu, vel usu eius. neutrum dici potest: ergo. Minor quoad priorem partem explicatur: nam dispensare illo modo in voto, est auferre omnino à me votum, & obligationem non procurandi dignitatem, aut non relaxandi paupertatem. Quod ergo Præpositus Generalis hoc non possit efficere, indicat apud nos esse debet, quia tunc maxime procedunt rationes factæ, quia ad illam non spectat solvere propria religionis vincula per sedem Apostolicam approbata, & quodammodo confirmata. Item, quia aliàs posset dispensare simul cum omnibus professis, & secum saltem mediante Confessore, & consequenter posset dispensare cum vno, vel pluribus, aut certe omnibus, qui denuò admittuntur ad professionem, ne illa alia vota simplicia emittant, & similia absurda inferri possunt, de quibus eadem est ratio, quantum attinet ad potestatem, licet ex parte causæ maior in quibusdam, quam in aliis requiratur. Quod si in his potestas est in solo Summo Pontifice, quia pertinent ad substantiam huius religionis secundum speciem suam, profecto etiam tollere omnino talia vota, vel aliquod eorum à quolibet professo, pertinet ad solum Summum Pontificem, à quo etiam ex defectu causæ raro potestatis dispensatio concedi.

Poste-

XXXV.

Posterior pars minoris haberet locum, si Superior posset dispensare cum professo Societatis ut acceptet dignitatem sibi oblatam extra Societatem, etiam si ei non præcipiatur; vel ut non manifestet ambientem, vel procurantem dignitatem, etiam si sciat. Et in hoc in primis vix potest occurrere rationabilis causa talis dispensationis: nam si occurrit tanta necessitas, quæ obliget prælatum ad approbandum illud factum, vel omissionem non obstantem voto, profectò sufficiens interpretatio quod tunc votum non obliget, propter graue aliquod periculum, vel quid simile: si autem necessitas tanta non est, vix potest esse sufficiens causa iustæ dispensationis, maxime respectu prælati Societatis, qui maxime tenetur consulere maiori bono spirituali totius Societatis, & singulorum subditorum, ad quod talis dispensatio nihil potest deferuire. Et sanè si S. P. Ignatius intellexisset, Generalem habiturum potestatem ad dispensandum illo modo in voto non acceptandi dignitatem, non posuisset ut conditionem necessariam quod præcipiatur, sed potius dixisset, nisi ex facultate, aut iudicio Generalis ut sæpe aliàs dicit; noluit autem hoc iudicio aut voluntati alicuius relinquere, sed illius tantum, qui potest præcipere, & per præceptum suum extrahat actum à materia voti.

XXXVI.

Præterea est optima ratio, quia ex potestate ordinaria nullus potest dispensare in voto ex parte, qui non potest in totum: ergo si prælati non potest dispensare in toto, nec in parte poterit. Antecedens declaratur: nam per delegationem solet aliquando committi dispensatio in voto, vel alio actu voti, ut ad petendum debitum, v. g. licet non committatur in toto voto. Sicut etiam solet committi potestas commutandi, & non dispensandi: in præfenti autem non est facta aliqua delegatio, ut per se constat. Per potestatem autem ordinariam nunquam potest fieri unum illorum, quin etiam possit dispensari aliud, ut facile constare potest inductione: sicut etiam nemo potest iure ordinario commutare votum, quin possit etiam dispensare. Et ratio est, quia obligatio voti eiusdem rationis est in toto, & in parte, & aliàs potestas ordinaria de se simpliciter cadit in votum, nisi aliunde limitetur, quæ limitatio in præfenti nulla etiam est: ergo si ordinaria potestas prælatorum Societatis extenditur ad dispensandum hæc vota quoad aliquos actus eorum, etiam excedetur ad ipsa secundum se. Et in hoc (ut obiter id adnotemus) est differentia notanda inter dispensationem in voto, & in lege: nam in lege dispensare potest iure ordinario qui non potest illam tollere; in voto autem qui dispensare potest, in eo potest illud tollere. Et ratio differentia est, quia lex non tollitur per dispensationem, sed per abrogationem, qui est actus superioris potestatis; votum autem per dispensationem tollitur. Cuius differentia potest videri ratione reddi, quia votum est quasi priuata lex huic rationi personæ imposita, & ideo eximere talem personam à tali lege, quod est dispensare, est etiam tollere votum; lex autem est generale præceptum, quod non tollitur, licet vnus, vel alius ab illo eximatur, & ideo maior potestas necessaria est ad tollendam legem, quam ad dispensandum in illa.

XXXVII.

Vltimò confirmare possumus hanc resolutionem, quia si prælati Societatis posset in his votis dispensare, posset id facere non solum Generalis, sed etiam Prouincialis, imò & localis Præpositus; quod dice-re valde absurdum est, & nullo modo in ædificationem, sed in destructionem. Sequela patet, quia si admittitur hæc potestas, solum est propter Generalem potestatem dispensandi in votis non reueruatis; hæc autem potestas quamdiu non limitatur, vel vnus eius prohibetur, tanta est in minori prælato, quanta in maiori; & ita est de facto in prælati. Suar. de statu relig. Tom. IV.

latis Societatis, quia nulla facta est limitatio, quæ nobis innotescat: ergo si Generalis potest, etiam alij possunt. Veritas ergo est, potestatem illam communem dispensandi in votis Episcopalis non extendi ad hæc vota, quia illa potestas solum versatur circa vota personarum, non circa vota status, ut declaratum est. Vnde etiam dici possunt, hæc vota status esse reueruata, sicut & ipse status quoad suam immutabilitatem immutabilis est.

XXXVIII.

Quo ex fundamento seu ratione, inferre possumus primò, vota Scholarium, vel coadiutorum Societatis, licet simplicia sint, potius reueruata, quam Episcopalia dici posse, nullus enim Episcopus potest in eis se intromittere, ut Greg. XIII. definiuit: & optima ratio, præter Pontificis decretum est, quia illa vota non sunt communia & vulgaria (ut sic dicam) sed sunt vota status religiosi, & per Pontificem confirmati, & exempti. Quamuis autem prædicta vota simplicia professorum Societatis non ita formaliter ac primò constituent religiosum statum sicut vota Scholarium, sunt tamen suo modo per se annexa perfectioni statui, & ad quandam illius consummationem necessaria, & ideo imitantur naturam eius, sicut accessorium imitatur principale. Ex quo etiam infero, promissionem illam, seu votum ingrediendi Societatem, quod emittit scholaris approbatus Societatis, esse indispensabile tam per Episcopos, quam per eiusdem religionis prælatos, sicut vota & status religiosi, quibus illud votum connectitur, indispensabilia sunt: quamuis enim alio modo auferri, seu irritari possint, non tamen dispensari, & perseverante illo statu, fieri non potest quin promissio illa & obligatio eius integra maneat, quamuis executio ex voluntate Superioris pendeat.

XXXIX.

Sequitur præterea ex dicta resolutione, idem dicendum esse de quocunque statu religioso habente votum aliquod ex peculiari ratione talis status præter tria vota communia, nam tale votum indispensabile est per prælatos religionis, propter rationes factas, quæ generaliter procedunt ex natura status religiosi, & conditione talis voti; & ideo punctum hoc non reueruauimus in peculiarem tractatum de Societate, quia de se commune est. Ita ergo censo de monialibus Sanctæ Claræ, quoad votum clausuræ, non enim possunt in illo dispensare prælati minores, quia non possunt votum illud, vel obligationem eius auferre. Idem est de voto non comedendi carnes, quod religiosi Minimi emittunt: nam per eorum Superiores tolli, seu dispensari non potest ob easdem rationes. Nec refert quod prælati possint aliquando dare licentiam egrediendi, aut comedendi, &c. nam supposito voto, hoc tantum fieri poterit vel interpretando casum esse talem, in quo votum non obliget, quod non est dispensare, ut in tractatu de voto lib. 6. c. 9. dixi, vel subtrahendo materiam voti, quia nimirum in ipso voto emittendo vel expressè, vel secundum regulam includitur conditio non faciendi hoc, vel illud, nisi approbato, vel ordinante Superiore: tunc enim dum ipse ordinat, vel dat facultatem, non dispensat, sed facit ut cesset materia voti. Hæc autem integra manente, indispensabilia esse existimo talia vota per inferiores prælatos, etiam per Episcopos, quia ex vi status, cui sunt annexa, sunt alterius ordinis, & habent quasi peculiarem modum, reueruationis, ut explicatum est.

Secunda Af.

Secundò dicendum est de obligationibus religionis sub mortali ex Regula, ut num. 28. notabamus, quæ merito dici possunt pertinere aliquo modo ad substantiam religionis, cum suo modo pertineant ad substantiam vitæ spiritualis in tali religione. Quin potius aliqua, quæ nec vouentur, nec illo modo præcipiuntur, in aliqua religione reputantur de substantia.

seruo graues obligationes dici possunt substantiales Religionis in qua clausuratur.

substantia eius: sicut in Societate in Congregat. generali, can. 17. declaratum est, aliqua esse substantialia huius instituti, quamvis sub culpæ obligatione imposita non sint, ut reddere rationem conscientiae suae Superiori, & alia, quæ ibi numerantur: sicut etiam inter Carthusianos abstinencia à carnibus censetur valde substantialis, licet probabilis forte sit non cadere sub obligatione mortalis culpæ, ut alibi differitur. Cum enim unusquisque status religionis tendat ad perfectionem secundum proprium scopum ac finem suum, & per certa ac definita media, merito dici possent substantialia tali religioni ea, quæ sunt ita intrinseca, vel necessaria ad talē finem, sine quibus non potest talis religio moraliter conservari, & tendere ad perfectionem secundum modum suum. Nam tria vota ideo dicuntur substantialia statui religionis ut sic, quia sunt media moraliter necessaria ad perfectionem ut sic, absolute namque (licet rarissime) perfecti homines dari possunt non religiosi, ut olim Patriarchæ & alij in lege gratie: ergo servata proportione in tali, vel tali religione illa erunt de substantia talis status, quæ ad proprium finem eius fuerint moraliter necessaria, præsertim quando illis sublati, vix, aut difficulter dari potest perfectio charitatis in tali statu, regulariter loquendo: & huiusmodi sunt in Societate ea, quæ in prædicta congregatione declarata sunt, ut, Deo dante, expendemus in tract. 10. lib. 10. c. 6.

XLI.

Hinc ulterius assero, in hac, quatenus substantialia sunt religioni, non cadere dispensationē, neque potestatem prælatorum ad hanc materiam secundum hanc rationem spectatam extendi; & cum hoc nihilominus stare, ut in particulari possit in huiusmodi observantias, vel præcepta cadere dispensatio. Prior pars patet ex illo principio sumpto ex Concilio Trid. *substantialia religionis, ut talia sunt immutabilia esse*, saltem per potestatem intrinsecam ipsius religionis: quod nos ostendimus cum proportionem de singulis religionibus, & de substantialibus unicuique esse intelligendum. Ratio etiam moralis id postulat, quia talis potestas non esset ad ædificationem, sed ad destructionem. Altera verò pars constat ex vfu, & quia talis dispensatio sæpe est moraliter necessaria. Vnde ad concordiam & intelligentiam utriusque partis, advertere oportet, non omnia, quæ absolute & simpliciter sumpta, sunt substantialia religioni, in particulari quoad singulas personas, vel singulos actus earum esse ita substantialia: ut v. g. in Societate substantiale est id est, moraliter necessarium, ad perfectionem eius, ut conscientia inferiorum nota sint Superiori, & consequenter ut ipsi reddant rationem earum, quia non potest illa notitia moraliter, ac religiose alteri obtineri. Non poterit ergo Generalis, vel aliquis prælatus Societatis in huiusmodi regula, vel institutione ita dispensare, ut in Societate non servetur, vel vila ratio, aut cura illius habeatur, nā hæc esset dissipatio, non dispensatio, & illa esset propria relaxatio in re substantiali, ut talis est. Nihilominus tamen hæc ipsa met observantia reddendi rationem conscientie in vna persona in particulari propter probitatem eius, & magnam exultationem de illius prudentia, & c. potest non esse necessaria, neque ad bonum eius, neque aliorum, & ideo licet cum ea dispensetur, non erit dispensatio in substantialibus instituti: quia illa observantia licet in toto corpore religionis sit substantialis, non tamen ut applicata ad singula membra. Hinc autem recte fit, dispensationem in his observantiis gravioribus, & quæ ad substantiam aliquis instituti ex natura sua, vel ex declaratione eius pertinere censentur, difficiliorem esse debere, etiam cum in particulari sunt, ita ut moraliter satis constet, inde non minui substantialem observantiam religionis. In aliis verò regulis, vel ceremoniis, vel

actibus virtutum facilius potest concedi dispensatio, imò aliquando dari posset non tantum vni vel alteri in particulari, sed etiam toti religioni ab eo, qui potestatem habet in totam religionem. Semper tamen necessaria est causa proportionata, nam hæc in omni iusta dispensatione postulatur.

Quæritur autem hic potest, an dispensatio data à prælato sine causa iusta, sit valida, quævis ipse peccet dando: ita enim solet esse valida dispensatio male concessa in humano iure. Dico tamen, non esse validam, nec reddere subditum tutum in conscientia. Ratio est, quia dispensatio in lege Superioris sine causa data ab inferiori, est nulla: prælatus autem religionis dispensans in præceptis, aut regula religionis, dispensat in lege Superioris: ergo dispensatio eius sine causa data, est nulla. Minor manifesta est in Superioribus localibus, & Provincialibus, ac Generalibus, quia ipsi non sunt legislatores: nam propriæ leges, id est, stabiles, ac perpetuæ non solent committi eiusmodi prælatis, sed Capitulis Generalibus, vel Provincialibus respectu, iuxta varia statuta religionum, quæ Capitula sunt supra eodem prælato, etiam cum proportionem comparatione facta: ergo dum illi dispensant in constitutionibus religionis, dispensant in lege Superioris, ac proinde non valet dispensatio sine causa data. Ex quo discursu intelligitur assertionem maximè habere locum in constitutionibus totius religionis, quæ sunt firmatæ maiori auctoritate, quam fieri aliquo singulari prælato, etiam si Generalis sit: nam si generalis ipsa congregatio cum aliquo particulari dispenset, valida erit dispensatio, etiam si fortasse sine causa data sit, quia tunc non procedit ratio facta, & alia ratio nullitatis per se non occurrit. Secus autem esset, si dispensatio fieret in præcepto Pontificio, vel in constitutione specialiter confirmata à Papa, ut perinde habeatur ac si ab ipso esset facta, quia iam tunc dispensatio esset in lege Superioris. Similiter ubi Capitulum Provinciale veras leges pro sua provincia facere potest, si idem Capitulum in aliqua dispenset sine causa, per se loquendo valida erit dispensatio, quia dispensat in lege sua, vel sui equalis. Dispensatio etiam data à Generali in lege lata à Capitulo provinciali, ex communi iure, & ratione talis muneris valida est, quia est à maiori prælato, nisi eius potestas per constitutiones religionis sit mutata. Item, si Generalis (& eadem est proportio de Provinciali) dispenset in sua ordinatione, vel præcepto, quod non est propriæ lex, valida erit dispensatio, quia in proprio præcepto dispensat. Denique cum dispensatio hæc cadere possit tam in præceptum obligans in conscientia, quam in regulam obligantem solum ad melius esse, cui proportionem ad utrumque applicandum est quod dicimus de valore, aut nullitate dispensationis: nam, si est valida, tollit obligationem in conscientia, vel in ratione maioris perfectionis pro ratione legis, vel regule.

Quod si talis lex habeat adiunctam penam ipso facto incurrendam, ut censuram aliquam si dispensatio non fuit valida quoad vim directivam legis, planè non impediet quominus talis pena incuratur: quia si dispensans non potuit auferre vim legis à Superiori, quoad vim directivam, nec quoad eam potuit. Item, quia si dispensatio fuit invalida, subditus æque contumax est, & inobediens. Intelligo autem *per se*, nam ex ignorantia facile poterit subditus excusari vel omnino à culpa, vel saltem à pertinacia requisita ad talem censuram: auctoritas enim prælatis dispensantis facit expè talem ignorantiam probabilem, vel saltem multum excusabilem, ubi non interuenit malicia, sed simplex subditi fides.

Vbi autem pena non est ipso facto imposita, sed

sed ferenda, facilius interueniet excusatio, nam à nullo in inferiori praelato poterit talis poena imponi, quia nullus inferior potest damnare quod Superioris auctoritate, & voluntate factum est. Nec etiā ipsemet dispensans poterit rationabiliter illud factū punire, quando subditus ipsum non decept, nec ei vim intulit, quia ipsemet indebitè dispensando fuit occasio illius transgressionis. At verò maior praelatus merito puniet transgressorem illum, dummodo adeò sit evidens iniustitia, & defectus dispensationis, ut non possit subditus excusari, nam in casu aliquo modo dubio non est damnandus subditus, cum alias debeat pro suo praelato praesumere. At quando res est clara, sicut non excusatur à culpa, etiam in exteriori foro, ita nec à poena: ergo cum in superiori praelato, sit sufficiens iurisdicção, poterit illam exequi. De aequali verò successore res est magis dubia, quia videtur habere sufficientem iurisdictionem, & non impeditam, cum ipse non fuerit auctor talis dispensationis. Nihilominus probabilius puto oppositum: quia etiam dispensatio fuerit iniusta, tamen aequalis non potest in exteriori foro de illius iniustitia cognoscere, neque illam damnare: ergo nec punire quidquid auctoritate illius factum est.

XLV. Vltimò in hoc puncto aduerto quod supra tetigimus, aliud esse dispensare, aliud licentiam dare: cum enim Superior dat facultatem religioso ad faciendam elemosinam, non dispensat: sic ergo in nonnullis constitutionibus, vel regulis contingit, cum enim dat licentiam ingrediendi cubiculum alterius, vel exeundi domo, & similia, propriè non dispensat. Et ratio est, quia illa opera non sunt simpliciter prohibita per leges religionis, sed ne fiant sine licentia: ideo quando ita fiunt, non ex dispensatione fiunt, sed ex concessione ipsiusmet regulæ, tunc ergo licentia non est necessaria, ut dispensatio fiat, sed ut compleatur materia legis, seu modus operandi per legem postulat. Cum ergo dicimus, dispensationem religiosam etiam in hac materia, ut sit iusta, vel etiam valida, non oportet hoc extendere ad omnem licentiam, quin potius ad honestatem talis actus sufficit Superioris cōsensu bona fide ac simpliciter obtentus, quia solum requiritur ut cōditio necessaria ex parte materiae. Imò etiam ut talis facultas licitè deatur, non semper necessaria est specialis causa, sed sufficit, ut in illo opere hic, & nunc, nihil sit incommodi, & quod possit à subdito honestè fieri quocunque titulo, etiam ob honestam animi, vel corporis recreationem, & sæpè Superior licetè has facultates cōcedit, ne nimis austerus videatur, cum tamen ad licitas dispensationes hoc non sufficiat, nisi propria, & specialis causa interueniat.

XLVI. Et fortasse iuxta hanc doctrinam intelligenda est quædam concessio Pij II. facta Minoribus, quæ in specie verborum obscura est, eius verò intelligentia poterit ad multa similia seruire. Concessit ergo ille Pontifex Ordini Minorum, ut praelati possent annuere, seu dispensare cum subditis debilibus, & infirmis, quæ non sunt contraria Regula. In quibus verbis videtur esse quædam implicatio in adiectis: nam si dispensatio non est in his, quæ sunt contra regulam, ad quid necessaria est? vel quod privilegium ibi conceditur? Item, exempla, quæ ibi ponuntur, videntur esse contra regulam Minorum, ut equitare, &c. quomodo ergo dispensatio contra regulam non conceditur, & dispensatio in equitando, hisque similibus conceditur? Dicendum verò est, iuxta distinctionem à nobis datam, quædam esse, quæ simpliciter, & absolute prohibentur per regulam, ut, v. g. habere proprium tam in communi, quàm in particulari, &c. & hæc dicuntur esse simpliciter contra regulam, & quoad hæc non conceditur in illo privilegio dispensatio in regula: alia verò sunt, quæ Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

non absolute prohibentur, sed cum limitatione, scilicet, ut non fiant sine facultate, vel etiam sine urgente necessitate. Et hæc non sunt simpliciter contra regulam quoad substantiam, sed quoad modum, quando ultra præscriptam conditionem fiunt: in his ergo conceditur illa dispensatio, quæ, ut aliquid conferat, seu operetur, tribuit potestatem dandi hanc facultatem, vel licentiam cum minori causa, seu necessitate, quàm rigor regulæ postulare. Atque ita videntur intellexisse illam cōcessionem expolitores eiusdem ordinis. Ex illa ergo nos elicimus, ea, quæ non simpliciter prohibentur, nec sub votu cadunt, non esse propriè ex substantialibus, in quibus dispensatio non cadit. Colligimus etiam, in his, quæ ex facultate Superioris licent, non habere rationem dispensationis concessionem facultatis ex ordinaria providentia, & quasi ratione muneris debitam, sed tunc solum, quando aliqua maior benignitas, aut liberalitas sit ex peculiari causa, vel potestate. Speciale verò dubium hic supererat, an habitus delatio, & habitatio intra claustrum sint ex his, quæ per praelatos religionis dispensari possunt. Sed hoc tractabitur commodius infra lib. 3. c. 7. disputando de mutatione status religionis: & ideo hæc sufficiens de materia, ad quam hæc potestas extenditur.

C A P V T XIII.

Quibus Praelatis, & qua ratione potestas dispensandi cum suis subditis concessa sit.

I. Vperest ut de alio puncto principali in c. præcedenti proposito dicamus, in quibus scilicet praelatis sit hæc potestas. Sunt enim in religionibus praelati supremi, medij, & infimi, ut supra exposuimus: quibus ergo illorum datur hæc potestas? vel quanta unicuique? In qua re generalis regula Doctorum est, vnumquemque praelatum religiosum id tantum posse in hac materia dispensationum, quod à iure, vel privilegio, & regula ei concessum est. ita Innoc. in c. 2. de eo, qui furt. ordines suscepit, & in c. vlt. de postulat. praelat. Abbas, Anton. & communis in c. at si clerici. §. de adulteris. de iudic. Syluester verb. Dispensatio. n. 10. Et ratio est, quia hi praelati non habent de se hanc iurisdictionem: ergo oportet, ut à Pontifice illam recipiant, quia nullus alius potest illam concedere tanquàm ordinarius: ergo oportet ut iure cōmuni, vel speciali, seu ex privilegio illam habeant: quæ duo capita breuiter à nobis explicanda sunt.

II. Circa ius commune advertere primò oportet, in eo ferè nihil haberi (ut supra cap. 12. num. 2. etiam notavi) de his praelatis nisi sub nomine Abbatum, qui sunt proximi, & immediati praelati monasteriorum, & sub ea voce comprehendi reliquos Superiores religionum habentes simile munus quoad iurisdictionem, quavis diueris nominibus appellantur. Vnde fit, hanc potestatem quatenus ex vi iuris communis habetur, omnibus veris praelatis regularibus conuenire respectuè, id est, unicuique in suo quasi territorio, nisi per speciale ius alicuius religionis limitata sit. Quod, ut amplius explicetur, aduerto secundò, dupliciter posse hanc potestatem concedi iure cōmuni. Primò per specialem concessionem, vel declarationem. Secundò per generalem concessionem iurisdictionis quasi Episcopalis. Priori modo Sylu. verb. Dispensatio. q. 14. cum Angelo eodè verbo, n. 8. decem casus promittunt ex iure cōmuni, in quibus potest Abbas cum subditis dispensare, postea verò & nouem tantum numerant, & inter eos septimus, & nonus neque inter se condistincti sunt, nec continent casus speciales, sed generalem doctrinam de potestate dispensandi in regula, vel obseruantis regularibus, quæ superiori c. tradidimus, & ex-